B. N. C.
FIRENZE
1005
17

1005.17

D
R!
1005
17

IX
RNB.

BI 1005
17

LAUREA
IN FLORENTINA THEOLGORUM UNIVERSITATE
ILLUSTRISSIMO D. ABBATI
BERNARDO MARIÆ MARTELLI
A MARCO DE RUBEIS EJUSD. COLLEGII DOCT.

INTEXTA.

FLORENTIÆ, MDCXCVI.
Ex Typogr. Petri Matini ſub Signo Leonis Aurei. *Sup. perm.*

A. M. D. G.

NObiliores apud Nautas olim ſolenne fuit, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul: Excellentiſſimi Patres, eas feſtivo plauſu, amœnis & odoris frondibus coronare Naves, quæ Maris inſidias naufragiis infames eluſere, & ſtrenuè triumphatis Scopulis & Procellis Portum fortiter occupavere. Plauſum id genus & ejuſmodi Coronas non quævis natans Abies, ut opinor, emerebatur. Præmium hoc, & Victoriæ nomen immortale Navis illa duntaxat ſortita eſt, quæ Maris immenſi, non tranquillum ſed procelloſum ambitum prudenti ductu, fortunatoque naufragiorum, & fluctuum ad invidiam emenſa eſt.

Literarum amantes Juvenes ſapientiæ ſint avidiores, quam Aurei Velleris Argonautæ, & alterius Orbis Columbus, & Americus; dum amœnioribus ac ſeverioribus Diſciplinis cor animumque devovent, an non earum ſtudiis improbis immenſo veluti Mari ſeſe credunt; ut Literariæ Velificationis Portum tandem aliquando teneant, & eruditas Laurus doctarum Præmia Frontium, poſt exantlatos labores meritò conſequantur?

Si cujuſvis Diſciplinæ ſtudium Pelagus aliquod eſt, altiſſimus ſanè eſt Sacra Teologiæ Facultas, Oceanus. In hoc Sapientiæ divinioris Oceano velificantibus Por-

tum aliquem aperit Florentina hæc & Alma Sapientiſſimorum Capitum Univerſitas; & Laureis abundè dives Sapientiæ mercibus onuſtos Nautas, Fluctuumque victores debito ſubindè coronat encomio. Verum enimverò, ut velificationis Theologicæ Præmium ab hoc doctiſſimo Senatu quis extorqueat; non ſatis eſt hunc ſalvo navigio Portum attigiſſe. In hoc Portu adhuc naufragii timor. Horribilior hic, quam mediis in undis ſuperanda tempeſtas; dum expoſitæ Doctrinæ objectionibus ingenioſis faciendum eſt ſatis. Et unica hæc in Portu tempeſtatis excitatæ victoria publico coronat elogio victorias omnes, quas medio ſtudiorum in Mari quis privatim retulerit.

Procellarum omnium Triumphator Illuſtriſs. Dom. Abbas Bernardus Maria Martelli communi veſtro ſuffragio, Patres Excellentiſſimi, dignus eſt, qui hoc in Portu, dixerim veriùs, Sacræ Theologiæ Capitolio Teologica Laurea victricem Frontem ſuam in præſens impediat. Neque mirum cuiquam videri debet, fortunatæ Navigationis obices omnes triumphaſſe Bernardum. Plures annos in Seminario Senenſi, Florentinoque Collegio apud Soc. Jeſu Patres in omni Diſciplinarum genere ſine controverſia verſatiſſimos ſub fauſtiſſimis Nominis Jeſu Auſpiciis Studiorum ſuorum velificationem ut cæpit, ita ſub iiſdem æquè feliciter abſolvit.

Et quid aliud quàm Servatorem ſonat Jeſus? Templum hoc D. Salvatori Sacrum: Servatoris ipſius Imago hoc ſuper Altare piis expreſſa coloribus quid aliud innuunt, niſi quod tuo cuique periculo, Bernarde Illuſtriſs.

ſemper Jeſus idem arriſerit, animoſque fecerit modeſto timori tuo ad omnium Procellarum Scopulorumque victoriam: Divinis Ejus imperiis non Æoli ementiti ventorum Patris Mare quovis obedit, quiſque ventus obſecuudat. Velificationem ſuam hominum quique fortunant, qui non Cæſarem & Fortunam Cæſaris, ſed Orbis univerſi, nedum undarum Imperatorem vehunt, Jeſum.

Cauſæ igitur abundè eſt, cur tibi ſummoperè gratulemur, Illuſtriſsime Bernarde, quod Vitiorum Syrtes & Difficultatum Scopulos, in quos non rarò ſtudiorum cultrix juventus impingit, Pietatis & Innocentiæ doctæ cultor, religioſus evaſeris: quod ad Sirenum cantus, voluptatum ſcilicet illecebras Ulifſe prudentior, non aures cera, ſed Dei timore, qui Sapientiæ initium, cor occluſeris; neque paſſus ſis nobiliſſimæ Familiæ tuæ ſplendorem Gentium ubique diffuſum inertiæ nube, vitiorum Eclipſi tamquam perniciosis umbris inobſcurari. Quin potius clariſſimam Avorum tuorum Lucem nova virtutum Honorumque Luce cumulare pro viribus adniteris.

Gentilitia Arbor eò Heroum fecundior quò annoſior, fumoſæ Majorum imagines tibi diu noctuque ponunt ob oculos heroicarum actionum exempla, & iis oratione quavis efficacioribus tibi cor inflammant ad incrementum ejus gloriæ, quam evolutis ab hinc retrò ſæculis ad hæc uſque tempora certatim conſequuti ſunt. Robertus ob largam auri copiam in Pliſnæ libertatem, & in Concilii Florentini commodum erogatam ab Orientis Imperatore dictus Palatinus Comes; ad Eccleſiæ Purpuratos Principes in obitu Nicolai V. miſſus

Ora-

Orator: Alphonſus Mutinæ Dux, qui ex Virginia Matre Martellium ſanguinem hauſit; Plures Exercituum Terra Marique Præfecti, plures in Republica Florentina ſupremorum Faſcium Moderatores: Tot Hieroſolymitani Equites & Divi Stephani, quos inter Thaddæus Tibi non minùs ſanguine quam virtute Germanus, tot noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Canonici, tot Infulati Paſtores Cluſini, Licienſes, Narnienſes & Feſulani, inter quos Braccius Canonicus Florentinus & Feſularum Epiſcopus Romæ Clementis VII. à Cubiculis, Bononiæ apud Carolum V. Commiſſarius, Tridenti in Concilio probitatis & ſapientiæ ſtupor & oraculum; inter quos Ugolinus Glandatenſis Antiſtes doctæ pietatis ſpeculum, & alter Ugolinus Licienſis Paſtor quamquam Italus, Latinus viſus & Græcus ob utriuſque Linguæ peritiam, qui uno eodemque tempore ſolennibus Theologorum noſtrorum Inferijs in Æde D. Marco Sacra ſimul interfuere: Ludovicus ob Carminum ſuavitatem Dulcis, ut reor, appellatus, Etruſcæ Poeſeos & Linguæ Florentinæ duplex Lumen: Multiplex Juris utriuſque Decus, Multiplex Theologicæ Facultatis Honor, Multiplex Purpuræ Florentinæ ſplendor; & Purpuræ Romanæ proximus Franciſcus Corinthi Archiepiſcopus, nuper apud Polonorum Regem Nuntius, & in præſentia Sacræ Conſultationis à Secretis, & Congregationis Controverſiarum Juriſditionis Præfectus; dignus planè, per quem Familia tua, cœteroquì perilluſtris ab E. M. D. Sereniſſimo tot Senatoribus & potiſſimum Clariſſimis Franciſco Patre tuo, & Nicolao Prolis honeſtæ Litteratæque

tæque fecundis Genitoribus ob egregias Animi Dotes & Munia tum in Aula tum in Publica Re feliciter obita Mediceis Principibus, apprimè caris nobilitata, à Summo Sacrorum omnium Arbitro Oſtro Vaticano adhuc nobilitetur; quemadmodum, Verino teſte, eidem Familiæ tuæ prima dedit Cognomina Princeps Gallorum Carolus cognomento Martellus. Neque Galliæ tantum Reges, & Græciæ Imperatores Cognomine Titulisque, ſed Italiæ Viri Principes, & ipſius Hiſpaniæ nobiliſſimi Proceres Hymæneis honeſtiſſimis Martellæ Gentis Famam, & Gloriam longè lateque propagavere. Montalvi, & Suareſii Sacro Conjugii nexu Martellis Feminis juncti Nobilitatem Hiſpanam Florentinæ inſeruerunt: Et Illuſtriſſimæ Mariæ Magdalenæ Baccii Filiæ in Aula Medicea nuper honorariæ Feminæ Spectabilis Honeſtas & virtus omninò maſcula puriorum amorum Magnes caſtiſſimos Joannis de Dios Narvaez amores emeruit, quem nobiliſſimum Equitem Moribus & Literis æquè nobilem Sereniſs. Etr. M. Dux COSMUS III. ſpectatæ Pietatis & Prudentiæ Princeps Gratia ſua fuſiùs quam ego verbis pro Dignitate commendat.

Tot tantique Heroes, quos ad omnia Dignitatum genera Pietas, Arma, Literæque nunquam non evexerunt, ad præclarè geſta propenſam Indolem tuam tanquam multiplex nobileque Calcar extimulant, ne degener Animus in ea, quæ dedecus & ignominiam claris Familiis affundunt, prolabatur, ſed ea quæ Gloriam immortalem pariunt, æmuletur.

Noſtræ igitur Dignitatis Inſignibus, quæ tua Vir-

tus

tus Majorum æmula promeruit, vigilem tuam in ſtudiis induſtriam coronamus. Eſto jam unus è Sapientiæ Principibus. Sacer hic Pileus Doctæ Frontis in Coronam tibi cedat, perhonorifica Veſtis hæc in Chlamydem, in Manus non otioſæ Præmium & Ornamentum Gemmeus hic idemque orbis Aureus, Liber hic in Sceptrum, quo in Animos à Te ſanioribus Doctrinis inſtruendos nobiliùs quam terreni Principes in Corpora, domineris; Cathedra hæc tibi cedat in Solium.

En tandem aliquando Itineris docti Metam attigiſti Bernarde Illuſtriſſime; Lauream litterato labori parem es aſſequtus. Non proindè putes optatam in hoc Portu quietem Velificationi tuæ terminales Herculis Columnas excitaſſe. Plus ultrà plus ultrà tibi velificandum, donec ad æternæ Tranquillitatis Portum appellas: & Frontem tuam eruditis Frondibus à Sapientiſſimis hiſce Patribus in hoc terreſtri Portu coronatam Beatæ Mentes in Cœleſti Portu coronent Aſtris immortalibus: Serus tamen in Cœlum redeas diuque utilis interſis Reipublicæ Chriſtianæ.

Syrtes offendes, ſcopulos & Procellas obvias paſſim habere tibi fortè fortuna contigerit; ſed tu contra audentior ito. Fauſtis enim ac ſecundis Jeſu Nominis ominibus feliciter velificatus es in ſtudiorum Mari, iiſdem in vitæ Pelago æque feliciter velificaberis.

Nil deſperandum JESU Duce & Auſpice JESU.

LAUS DEO.

99 955526